



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

10. Et Amini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

10. ET AMNI. Parum ab Alisone fluvio nomine differt, re ipsâ autem omnino idem est Alma, qui proximè à capite Luppiæ eidem infra Neuhusium arcem, & vicum Elsen confunditur : recensenti enim omnes amnes, qui in Luppiam se exonerant, nullus occurrit, qui Alisoni castello magis conveniat. Cluver. l.c. Horrion. l. c.

11. LONGA DIES. Quid hostis manu, ferro, & igne non diruit, & evertit ? quid sine vi non collabascit, & consumitur solâ vetustate ? è grandi illo Drusi opere, si Alma & Luppiæ confluentes, nomen in vico vicino servatum, & exigua fossarum vestigia excipientur, nihil omnino hodie superest, neque à longissimâ memoriâ superfuit. Vix annis 20. steterat, quando post cladem Varianam à Germanis obsessus, atque Lucio Cæditio castrorum præfecto erumpente in potestatem eorundem venit. Hos castellum invisum funditus evertisse, Romani uominis odium, & insitus veteris libertatis amor facile persuadent. Instaurâsse tamen Romanos certum ex Tacito lib. 2. annal. Ipse (Germanicus) auditio castellum Lupiæ flumini adpositum obsideri, sex legiones eò duxit. &c. conservatum quidem tum fuit ; Neque enim Cæsar copiam pugnae obsessores fecere, ad famam adventus ejus dilapsi. Tac. l.c. Sed non ultra principatum Claudij Imperatoris retentum, qui ut apud Tacit. annal. II. habetur, C. Valerio Asiatico, M. Valerio Messalâ Cosl. qui, Horrionis judicio, à condito Alisone sextus & quinquagesimus erat, adeò novam in Germanias vim prohibuit, ut referri presidiacis Rhenum juberet. In quorum tum potestatem Aliso à Romanis desertus venerit, an occupatus à Saxonibus, instauratusque à Carolo M. eruditè Horrion c. 10. II. 12. differuit. Interim dum vetus castellum quocunque demum tempore & casu corruita